

Heirathgut und Ehegeld / quorum possessio & dominium ad maritum transeat. 2. Paraphernalia, ihr vorbehalten Gut / ihr Nebengut / Ninschandgut / ihr egen Gut (vide infra, verb. Egen) quorum possessio tantum. 3. Receptitia ihr außgesetz Gut / quorum neutrum ad maritum pertineat. Male tamen ad tria referuntur (conf. Arg. 29. n. 3. vol. 2. ubi v. alleg.) quæ in duobus melius consistere possunt : cum & jure nostro non nisi duplicia reperiantur : 1. dotalia, tot. tit. de jure dot. & 2. paraphernalia, l. si ego. 9. §. 1. d. tit. Novel. 79. §. 5. l. pen. de dot. collat. l. 3. C. ne uxor pro marito. l. 8. C. de ju. dot. l. ult. C. de pact. convent. quæ parapherna Hottomanus vocat præterdotalia : fortasse ex Cicerone, qui in Philipp. 2. quasi præter dotem, inquit, accessisti. Receptitia enim plane sunt eadem cum paraphernis, verbotenusque tantum differunt, (alterum Græcum est, alterum Latinum) & antiqui etiã Romani verbo Receptitorum ita usi sunt, quemadmodum testatur Agel. lib. 17. c. 6.

Interpretes autem in hunc errorem duxit difficultas conciliandæ dict. L. 21. Cod. de procurat. cum l. ultim. Cod. de pact. convent. In illa enim dicitur maritus satisfacere procurator uxoris : in hac negatur. Dicunt igitur, quod illa l. 21. de receptitiis : hæc autem de paraphernalibus bonis accipienda sit, & putant, in dotalibus admitti procuratorem sine mandato : in paraphernis, non cavere de rato : (vid. infr. v. Ehemann.) sed in receptitiis non admitti sine mandato. Quæ distinctiones licet à Gail. etiam 1. observ. 153. & Mynsing. 3. observ. 33. probentur : de jure tamen perabsurda sunt, quanquam hodie in Camera Imperiali secundum illam distinctionem judicatum sit, ut refert Mynsing. d. observ. 53. vid. tamen infr. v. Ehemann.

1. Primo enim in bonis dotalibus maritus non est procurator, sed est dominus, maxime quoad actiones movendas, l. 1. de rei vind.

2. Deinde quod ajunt, in receptitiis requiri mandatum : pugnat diserte cum d. l. 21. C. de procurat. in qua dicitur maritus habere facultatem intercedendi, hoc est, causæ suscipiendæ in rebus uxoris citra mandatum. Hanc autem l. 21. ipsi accipiunt de receptitiis.

3. Tum etiam falsum est, quod ajunt, in paraphernis maritum non cavere de rato. Pugnat enim cum d. l. 21. in verbis : cum solemnî satisfactione. Sed dicunt, hic agi de receptitiis, non paraphernis. Respondeo : hanc differentiam esse commentitiam, neque ullo in loco juris nostri aut aliorum veterum Scriptorum extare. Hæc enim est sententia d. l. 21. C. de procurat. Maritum in rebus uxoris posse quidem sine mandato intercedere, sive causas suscipere, aut procuratorem esse, solemnibus observatis, ut præstita cautione de rato : sed si cum mandato agat, non posse eum, licet maritus sit, excedere fines mandati. Ratio, cur maritus causas uxoris agere possit sine mandato, quia est ex personis conjunctis, quibus edicto Prætoris hoc fuit permissum,

l. sed & hæc. 35. D. de procurat. Cur autem de rato nihilominus cavere debeat, & alia solemnia adhibere, ut defendat uxorem, l. 8. de negot. gest. ratio est, quod uxor si nolit maritum causam suam agere exceptione procuratoria eum repellere possit, l. 40. §. fin. de procurator. adeo ut contraria uxoris voluntate apparente, oblatio cautionis de rato marito non profit, cum usus procuratorum sit in favorem dominorum introductus, nec debeat in eorum odium retorqueri, id est, non debet quis se rebus alienis invito domino admiscere, l. culpa. de reg. jur.

Nec obstat dict. l. ult. de pact. convent. ubi Imp. Justin. sancit, & dat marito licentiam movendi actiones in nominibus sive fœnoratiis cautionibus uxoris, nulla ratihabitione ab eo exigenda. Respondeo enim, specialem esse casum, nempe de nominibus sive cautionibus fœnoratiis. Esse autem specialem hunc casum, intelligitur partim ex eo, quod marito usuræ ex his cautionibus cedant, sive ad utilitatem ejus & uxoris : partim ex eo, quod uxori hypotheca detur in bonis mariti ob has cautiones, sive pecunias illi debitas exactas ; quæ sane abhorrent à paraphernis vulgaribus, quorum utilitas omnis ad uxorem solum pertinet ex jure nostro. Quanquam moribus nostris & legibus municipalibus aliter sæpe caveri soleat. Quamvis igitur nomina marito data non in dotem, sed loco paraphernorum sunt, habent tamen quædam specialia jura ex constitutione illa d. l. ult. C. d. pact. convent.

Dicere possis paraphernalia in specie dici, quæ adferuntur ad maritum, eique administranda permittuntur. Receptitia autem, quæ non adferuntur ad maritum, ne quidem ratione possessionis & administrationis, Abscondentia vorbehalten Guth, Reservata vocat Grev. 2. concl. 133. n. 4. & omnino sic distinguit Bach. ad Treutl. 2. D. 7. th. 9. lit. b. Gudelin. in jur nov. lib. 1. c. 7. De paraphernalibus in domum illatis, quomodo eorum dominium uxor sibi conservet, vid. locum egregium, l. si ego. 9. §. ult. de jur. dot. Si dos nulla constituta sit, an bona mulieris habeantur pro paraphernalibus? Vid. Moller. part. 1. const. 28. num. 30. sqq. & Berlich. part. 1. concl. 65. n. 69. Certè fructus rerum ad uxorem pertinentium marito competere constat, ut ait Mauritius de restit. in integr. c. 209. n. 3. Contradicit Gail. 2. obs. 82. n. 3. qui n. 4. addit : Mulierem de istis bonis posse disponere pro arbitrio, eaque marito auferre. Grev. ibid. n. 5. item Solis, de dote, qu. 19. ubi tamen n. 19. recte excipit, nisi per consuetudinem censeretur mulier dotem dedisse : Curt. lib. 1. c. 39. ait : ego, nos hodie in Belgio nostro dotes habere, nego, nec enim putandum est apud antiquos totum patrimonium, & fortunas omnes uxori doti fuisse. Ut apud nos maritus plenam & justam omnium, quæ uxoris sunt, administrationem habet &c. Unde maritus dicitur Ehevogt. Sic etiam A. Robert. 4. ult. p. 950. Surd. decis. 192. Wesf. conf. 63. & conf. 108. Tessaur. decis. 187. Everh. Inn. 1. conf. 40. Sichard. ad l. 3.